

Johann Quistorp

## **Programma In Natalem Messiae Dn. Nostri Jesu Christi**

Rostochii: Kilius, 1653

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734836694>

Druck Freier  Zugang



RU Progr 1653

1) Johannes Gopiniüs

2)

3) Herman Schückmann

4)

5) Johannes Quistorp

6) Laurentius Bodock





PROGRAMMA  
IN  
NATALEM  
MESSIÆ


DN. NOSTRI  
IESU CHRISTI.

Affixum

á  
RECTORE  
JOHANNE QVISTORPIO

S. S. Theol. D. Pastore ac Professore  
in Ecclesia & Academia Rosto-  
chiensi.


*Die XXV. Decemb. Anno M. DC. LIII.*



ROSTOCHII,  
Typis NICOLAI KILI, Academiae  
Typographi,

BERNHARDUS  
*Serm. II. De COENA DOMINI.*

Ut visibilis videretur à nobis,  
ut immortalis moreretur pro nobis,  
Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.  
Habitavit hoc verbum in nobis adumbratum  
carne, quam pro nobis assumpsit ex nobis:  
Verbum in carne, sol in nube, mel in cera, lumen  
in testa, cereus in lucerna, sustinuit in assumpta  
carne incommoda nostra, & hoc totum, non  
propter se, sed propter nos; ut redderet nos  
incolumes de infirmis, cohæredes  
de extraneis, liberos  
de servis.



R E C T O R

JOHANNES QUISTORPIUS,  
Theol. D. Prof. & Past. in Eccles.  
& Acad. Rostochiensis.

**R**opè universi mortales sub  
Satanæ imperio & potestate servitu-  
tem detestandam serviebant. Imo  
non minus princeps tenebrarum,  
quam Augustus Cæsar, certe magis ille quam iste  
omnem ferè orbem summâ pace & securitate re-  
gebat. Quàm multi profitebantur se diabolo, æ-  
ternùm ab astris proscripro, mancipatos esse, un-  
de & pæne omnium hominum nomina non in  
cælo sed in orco scripta erant; vix amplius in Ju-  
dæa Deus notus erat. Ita ut verè de hoc mundi  
statu prædixerit David Psal. XIV. Omnes decli-  
naverunt, simul putidi facti sunt; non est qui fa-  
ciat bonum non est vel unus. Tum juxta Esai. c.  
V. Dilatavit infernus animam suam, & aperuit os  
suum absq; ullo termino. Quia sic Satan domi-  
nabatur, vitium regnabat, mors imperabat, ani-  
marum seges infinita in rictus illos Acherontis

A 2

præ-

præceps rapiebatur; propter nefanda hæc scelera  
Deus meritò homines, sicuti ante-diluvianis &  
Gomorræis factum, funditus evertere ac eradi-  
care potuisset; sed ecce miserrimò hóc rerum ho-  
minumq; statu, venit mundi salvator, Emanuel,  
Jesus Christus. Cum Jonas Propheta Ninivitis  
condignam pœnam revelasset, quia ibidem do-  
minabatur Idololatria, & cum ea colluvies in-  
numerabilium vitiorum, ipse Rex, publicatâ sen-  
tentiâ mortis, purpuram & diadema deposuit, è  
solio descendit, saccum, cinerem, jejunia Ninivi-  
tis sibi què indixit. Jesus Christus filius altissimi,  
auditâ mortis sententiâ in nos prolatâ, cœlius in  
terram se demittebat, formam servi induebat,  
nostrorumq; loco anathema factus, à maledictio-  
ne perpetuâ liberavit. Quis non mortalium hunc  
salutiferû adventum gratissima mente agnosceat  
ac deprædicabit? nisi filius Dei carnem nostram  
assumpsisset, ac obedientiâ vitæ & mortis pro no-  
stris satis fecisset peccatis, nobiscum actum fuis-  
set. Relatum legimus apud Evangelistas, quanta  
cum animi exultatione Christum adventantem  
exceperint multi. Angeli veste candidissimâ,  
vultu amabili, ore latissimò, qualia tam lætum  
diem decebant, Christi jamiani nati buccinato-  
res erant, evangelium seu faustum nuncium ad-  
ferebant, intonantes: Nolite timere, ecce enim  
evan-

evangelizo vobis gaudiū magnum, quod erit toti  
populo; quia natus est vobis hodie salvator, qui  
est Christus Dominus in urbe Davidis. Hos cæ-  
lestes nuncios cum audivissent pastores, summā  
cum lætitiā Bethlehem contenderunt Salvatori  
obviā, ibiq; invenerunt thesaurum opulentis-  
simum. Sanè beati oculi, qui vident quæ vos vi-  
distis, ô Pastores, multi Prophetæ & Reges volue-  
runt videre quæ vos vidistis & non viderunt, &  
audire quæ vos audivistis & non audiverunt.  
Ah quantā talem aspectum nati Christi emissent  
Eva, Abraham, David. Siquidem Christo nato  
nihil admirabilius. Quod enim non habuit na-  
tura, usus nescivit, mens humana haud concipit,  
ignorat ratio, stupet terra, angeli mirantur, Fœ-  
tus hic matris suæ creator est, qui omnibus cœlis  
excelsior est, sese totum univit humani corporis  
angustiis, Ille Rex siderum, rerum omnium præ-  
potens Deus, virgūculæ mulget ubera, qui pascit  
animalia cuncta; qui cœlū lucidissimis stellis ex-  
ornavit, & terram flosculis induit, qui vestit cun-  
cta, decumbit nudus in præsepi, totus est in Mariæ  
sinu, quem nulla capit mundi intercapedos; inter  
bestias cubat, in cuius humeris sedet imperium  
orbis, ô pietas immensa! ô ineffabile Sacramen-  
tum! Deus homo fit, æternus temporalis, im-  
mensus localis, immortalis fit passibilis; pannis

involvitur, qui cœli ambitu haud continetur.  
Qvis audivit unquam tale? quis vidit huic simile?  
desinant nunc Græci ostentare Myrmecidis in-  
genium, qui currum quadrijugum cum auriga,  
tanto artificio efformavit, ut alis ea musca tege-  
ret. Non memoretur amplius ista docta manus  
scriptoris, quæ Homeri Iliadem, tenerrimæ nuci  
inclusit. Ecce hic opus peculiare solo artifice  
Deo dignum, quod omnis memoria deprædicet,  
Verbum caro factum est. Non sufficit autem hæc  
ce indagando animum suspensum habere, sed  
necessum est ut hæc natalitia Christi grato animo  
agnoscamus. Herodes quando celebrabat an-  
nuatim diem quò natus erat, liberalem se erga  
cunctos exhibebat ac dimidiam regni sui partem  
puellæ saltanti offerebat; Ita & hic Rex benedi-  
ctus in secula, nobis dum Sanctâ lætitiâ & devo-  
tione sobriâ celebramus ejus natalitia, nobis re-  
gnum suum concedit. Interim notum quâ inhu-  
manitate Judæi Christum exceperint. Erant pro-  
cul dubio nonnulli è Davidis familia tum Beth-  
lehemi qui nummis sic satis instructi fuerunt,  
nullus tamen inventus est qui vel teruncio vel  
linteolis Christum cognatum juverit. Omnes  
arcas suas & habitacula obserarant Christo. Uri-  
nam saltem vel sola pectora referata habuissent,  
in cœteris forte veniam reperissent. Cœteri Judæi

ein-

deinceps adhuc magis animum erga Christum  
alienum ostenderunt, dum eum ab Herodis Ty-  
rannide noluerunt defendere; dum eum fabri fi-  
lium, Samaritanum &c. per contemptū nomina-  
runt. Hujusmodi diris demovebant Jesum, ta-  
lem mercedem pro beneficiis inæstimabilibus  
reportabat. Sed quid accuso Judæos, hæc totius  
orbis in suum Conditorem fuit ingratiſſima pere-  
fidia. Rex aliquis aut Cæsar nascitur, mox pro-  
vinciæ applaudunt, ac regnum gaudio exultat.  
Nascitur Christus, nemo verò se movet, torpent  
omnes. Hoc nostro ævo plurimi Christi natalem  
diem non nisi ritidiorē veste & lautiorē mensâ  
venerantur. Hæc omnis gratiarum actio est, pro  
ineffabili beneficio Incarnationis filii Dei. Nunc  
vestrarum partium esset, Cives exoptatissimi ut  
templum frequentaretis, & ex ore Sacerdotum,  
veluti Angelorum Christi, ad exemplum Pasto-  
rum horum, audiretis hoc Evangelium. Sed quod  
dolendum arroditis hoc sacro sancto tempore  
Viros Dei, sicuti adhuc ante paucos dies libellus  
famosus pio Sacerdoti à quoquam tenebrione,  
per ignotum obtrusus fuit, quisquis ille fuerit,  
sciat Deum omniscium vindicem fore hujus ne-  
quam facti, nisi in tempore resipiscat. Vos potius,  
cives Academici, accommodate monitis Ange-  
lorum Ecclesiæ, Christum natum suscipite fide-  
pecto-

pectore, ac ab omni profano procul recedite; Sicut enim non ante licebat accedere Mosi ad rubrum ardentem, quam calceos lutulentos exuisset; sicut nec Sacerdotes, durante Veteri pacto, in sanctuarium olim penetrabant, antequam beneloti purgatiq; essent; Ita & hoc mysterium sanctissimum minus recte mente revolvere potestis, nisi prius pectus probe fuerit purgatum, & sordes malarum cupiditatum dispersæ. Non ingreditur impiam animam hæc sapientia. Sanctus sit qui sanctissimum Verbum caro factum, velit sanctificare; linguam incontaminatam habeat, qui preces ad eum dirigere & hymnum Christo canere; aures purgatas habeat, qui verba ejus audire velit. Procul deniq; sit omne id quod est contrarium legibus Dei, ne divellamur a capite nostro Jesu Christo, cujus membra esse volumus. Quod si qui forte refractarii contra faxint, ac malint diebus hifce sacro sanctis in œnopolis & tabernis, quam in Ecclesia conspici; In plateis impiis boatibus debacchari, quam in sacra æde Hymnis adventanti Christo acclamare & applaudere; adversum hos nos condignam poenam stricturos serio minamur. P.P. Rostochij sub Sigillo Rectoratus nostri XXV.

Decembr. ANNO

M, DC. LIII.







simum Virgunculæ (in cuius vel castiss  
debant gratiæ) uterum demississet, ac se  
humilitatem accommodasset, nullum in  
lum, qui eum velut preciosissimum Co  
Primum sibi lectulum sterni curabat in  
postremum in furciferorum patibulo, ex  
re sibi elegerat. Sed quænam humana,  
concipere potest stupenda DEI opera, quæ  
admirationem geruntur? Puella scilicet  
mos parietes, in sanctissimâ patriarum leg  
magnarum artium instructa studiis, quæ a  
instruerent Sacrarium; Puella inquam, in  
emicabant dotes, tot virtutes, quot serena  
stella, instar candentium gemmarum suis  
palustres tugurioli cannas, inter pecorum  
bulo, deserto, semiruto, frigida tempesta  
undiq; pervio, fundit ex utero Regem A  
gerrimis uberibus Deum, humano corpori  
vit fasciis eum, cuius tenellæ manus orben  
celli solem illuminant; cuius exigui pedes  
ponit in præsepi immensum in celo; tegit  
rigentia membra, qui volucres pennis vesti  
ornat: gestat parvulum, qui ab omnibus  
adoratur ut Deus, & qui in stellis est glo  
esset cætera persequi; omnia dixero, cum  
nati natiq; JESU mysteriorum maximum  
dem dignitatem ac majestatem, omnium  
sed etiam Angelorum linguæ, sufficienter pr  
Ad illud nihilominus modestâ ac devotâ m  
cingit sese, Vir Juvenis Præstantissimus a  
HANNES HUNTEMANNUS, Hannove  
eos æmulari, qui secure indormientes blan  
demiis nihil aliud sunt, quam quod in Apia  
simâ suâ petulantia, sordidissimâ morum &  
simorum sapientiæ, scientiaq; Delubrorum

estes remi.  
conditionis  
enit angu-  
excipere.  
lium, qui  
nos amo-  
elica mens  
i terraque  
pudicissi-  
, & in iis  
nobilis  
tarulâ tot  
t in celo  
e. Inter  
gressi sta-  
; flatibus  
stat inte-  
; invol-  
s parvi o-  
nt. Re-  
a frigore  
agros ex-  
nentibus  
Longum  
oc Incar-  
ujus qui  
ominum,  
ossunt.  
dum ac-  
Dn. JO-  
ri, noluit  
in Aca-  
ri foedis-  
nobilis-  
nâ turpi-  
ter ob-

